



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv  
Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1666**

20. Echandoni arx è solido saxo, & clara illic Xauerij gesta.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10854**

cari. Deinde Cangoximæ pœna capitis edixit, ne quis legem autam Iaponiæ, nona lege mutaret; ab Europæis Bonziis allata. Hinc omnes Apostoli conatus, & sudati hæctenus labores ad subigendum fidei id solum, propè subito conciderunt, illa ordinum omnium ardens frequentia, ad concionantem in compitis, & ad disputantem cum Bonziis audiendum, metu ac minis fracta longè dissiliit, solus cum sociis, angustia in casa desertus mansit.

19 At è contratio quorum iam Deus corda tetigerat, & corroborauerat baptismi vis potens; vnde alij abiici, inde ipsi assurgere & quanto pauciores, (nam pauci supra centum erant) tantò electionis suæ gratiam singularem rueri audentiùs; sistere se Xaueio fortiter, accinctos ad exilia, & mortem pro defensione fidei quam erant professi. Hos verò ipse, vt consueuerat, maiorem in noua fundanda Christianitate virtutis docere, quàm multitudinis rationem; vrgere semper ad vltiora; vsu Christianorum operum exercere; stans quotidie horis apud se cogere, recenti aliquo de religione ac moribus documento facturus doctiores. Qua etiam ex causa, selectas è sacris literis paginas, illorum temporibus aptiores, suas item quasdam scriptiones pias, Iaponicè vertit, ac nominatum de vita Redemptoris historiam integram, de qua confessibus singulis vnum, aut alterum mysterium explicans, ea commotione interioris hominis, & diuini amoris excipiebatur ab sancto fortique auditore, vt plausuum loco, lacrimas ederet; tam altis demum, & firmis radicibus, prima hæc Christi germina hæserit, vt manu cultoris multos per annos carentia, retinuerint constanter vigorem à sancto patre olim sibi ingentum, creuerintque perinde accessionibus virtutum, vt si eius præsentis magisterio cohererent. Ac poterat quidem, pusillo gregi Paulus à sancta fide, multum gratia, qua valebat, & incitamento imitandi prodesse & mandarat vir sanctus, curas ab eo in illum intendi, Sed is sexto vix mense extinctus est, ac Deo placuit, virtuti eius eximia debita præmia diutiùs non differre: magno desiderio, & fletu persecuti sunt Xauecium abeuntem, sui neophyti summâque magistro optimo, & profecto iustas egere gratias, quod tantis suis periculis, & ærumnis, altero ex orbe, solem sibi veræ salutis intulisset, alioqui omninò perituris, iamque in exitum æternum ruentibus.

20 Incunte Septembri, duobus cum sociis, Cangoxima exiit, anno 1550. & quòd exhaustis laboribus malignè is ager responderat, benignitatis diuinæ fuit hos illi sudores reponere, præter omnem fortassis expectationem. Eius nomen, & gesta latè circum effusa in arcem peruenerant octauo decimo milliari Cangoximæ; imminebat arx via quæ Firandum itur, quo & ipse tendebat; principi suberat, regis Saxumæ clientis: èd quamquam externus, sed tamen notissimus aduenit, imò ab indigenis quibusdam humanissima vi in eam inducitur. Est hæc rupes ad stuporem opus, si quod aliud vsquam orbe toto visendum, & iure censendum in mundi miraculis. Quicquid locis potest ad defensio-

19

Cangoximæ  
primorum  
Christi for-  
titudò.

20

Echandoni  
arx è solido  
saxo, & clara  
illic Xaueij  
gesta.

nem constructis, ab natura situs opportuni; providentiæ ab arte; soliditatis ab operibus, id omne arx illa nacta est, rupis excelsæ imposita vertici, seu potius innata eminet; exterior murus alta, & perpetua voragine cingitur, idcirco vndique inaccessus, nisi tramite per angusto, & paucissimis custodibus tuto: nihil ibi latibus, aut calci, omnia duris ligonibus viuo in saxo excavata: in iis murus quæ dixi, profunda vndique in præcipitia incisus, & ausu artis incomparabili, solido in saxo venæ durissimæ in summam celsitatem productus. Ex interiori supercilio eius muri propugnacula consurgunt decem, ingentia, non uti apud nos planis intermedij muri frontibus inter se commissa, sed tantum subductariis pontibus in mutuos aditus connexa, cæterum ex vno corpore solida, & nisi quantum sua cuiusque cauerna obtinet ad contubernium militis; & arcana hæud quidem ad exitus, sed introrsum viæ, quæ omnes attinent ad Decumanum, & princeps castrum media inter propugnacula sublime, validis turribus, & speculis munitum, estque hoc arcis caput, & robur præcipuum, vni obnoxium, & expugnabile solum fami. Porro istud arcis interius caput; totum quoque eidem incisum viæ rupi, superficiem laterum exhibet planam, eoque defensionis aptiorem, & inuasioni minus obnoxiam: interior domus iis splendet laboribus, quos nullus aut Scopas, aut Praxiteles æquarit. Regia est cui pulchritudinis & commoditatis nihil desit, atria, porticus, aula, cubicula, omnia, è saxo, ad omnem ornatum subtilissimi operis, scalptis, & arte ita ducto, ut fustum, non scalptum videatur. Hæc de illa ipsimet qui viderant scribunt. Parebat Echandonno toparchæ cum hospes in eam inuitatus est vir sanctus, qui statim fiducia, quam ille hospitem liberalis præbebat comitas, de religione vera, & æterna salute aggreditur. Circumstabat dicentem vniuersa Toni familia (toparcharum est hæc nomenclatio) aderant & prædiarij milites, ardebatque loquentis oratio veritatis æternæ radiis, & virtutum religiosarum viua luce, quibus accedente disputationum acrium ventilatione, ita omnes discussit eorum hæsitaciones, & dubiorum ambigua, ut antè actæ viæ desererent exercitatem, & ex iis septemdecim primo iactu captos sua ipse manu factis ablueret, & nouam Deo hostiam consecraret, idem cæteros ad vnum tenebat feruor, nisi Echandonus qui tamen affici supra reliquos videbatur, facultati quam aliis dederat, exemplo suo defuisset; Regis sui, ac Domini edictione nupera perturbatus, metuit aleam subire capitis si Christianum se proderet, tamen se Christum diceret, tacitè, & animo colere; & verò vxori, & nato maximo liberorum quadrino, indulgit baptismo tingi, de se quoque idem pollicitus, si quando rex erga Christianos æquiores animum induisset. Inter eos qui Christum amplexi sunt, fuit ipsius domui præfectus, grandi ætate, ac prudentia vir, cui suas vices Xaverius credidit in educatione illius Christianitatis; quare sub discessum baptizandi formam, Symboli explanationem, viæ Christi epitomem, & pœnitentiæ psalmos septem, adiunctis Sanctorum Litaniis, cum Calendarja festorum tabula, illi Iaponicè

ponicè tradidit, designatòque ad sacellum intra palatium conclauit statuit, vt quoscunque haberet Christianos, & quàm multos posset de ethnicis, eò diebus dominicis congregaret, & partem iis aliquam Christianæ doctrinæ perlegeret; diebus Veneris decantandos curaret pœnitentiæ psalmos, & quotidie Litanias. Post hæc in Rupe Echandoni, iacta probitatis, & fidei semina, Firandum Xauerius contendit, sed messem tulit soli benignitas copiosissimam; quæ factis, verbisque industrij, & feruentis Præfecti, ita creuit, vt annis ab hinc tredecim Ludouicus Almeida, Christianos illic plus centum repererit, tam castigatâ morum innocentia, tantâ præstantiâ virtutis, precandi assiduitate, mutuæ caritatis officio; & vsu publicæ suimet afflictationis, vt cœnobium magis, aut paruam speciem, nascentis olim Ecclesiæ, quàm arcem militum referret, haud quidem alio quàm diuino Spiritu eorum in cordibus doctorem agente. Tonus ipse, quamuis etiam tum ethnicum præferens, piis illorum intererat cœtibus, duosque alios quos per id temporis susceperat filios, baptismo lustrari voluerat. Eorum è numero qui primis accesserant, quinque iis erant prædicti dotibus, qui possent integris populis magistri præfici: vnus ducto è Xauerij scriptis argumento, maternalingua librum composuit, quo restituti à Christo hominis, eleganti ordine seriem digessit, ab Angelorum, & Adami lapsu, ad Spiritus sancti in Apostolos descensum, idque opus frater Almeida dignum iudicauit quod communicaret cum Bungenfibus Christianis. Est autem hic idem eius auctor, qui consueto in cœtu aliquandò, rogatus sententiam, quid esset Regi responsurus, si Christi legem iuberet eurare? Ego, inquit, intrepidè dicerem. Clientem me opinor, habere vis, Domine! scepro tuo fidelem, tuis rationibus addictum, promptum tibi mori & viuere, in omnes æquum & integrum, obseruantem Maiorum, erga æquales moderatum, misericordem & pium plebeiis, & infimis; iube ergo me esse Christianum, id enim totum est, iure & officio Christianus.

21. Rursus esse prohibes Christianum? eadem operâ, tibi, mihi, omnibus, tantò perfidiosior, & nocentior fio, quantò Deo infensior & sceleratior. Demum ad Apostoli decora, in arce Echandoni duo spectant etsi qualia pauperem decebant munuscula, mira tamen valdeque insignia. Toni uxorem sacculo donauit, cum inclusis Sanctorum Litanij, & preculis quæ sua ipse descripserat manu. Magni fecit sapiens matrona exiguum munus, & de experimento breui sanctitatis, noti apud Deum meriti hominem edocta, non ægrè coniecit, quæ illi in vsu fuerant, idem eius respectu præstitura, quod ille si præsens adesset, in obtinendis à Deo postulatis; in quo nec mulieris pietas, aberrauit, nec qui similiter cū ea sentiebant, quibuscumque domi morbo ictis appenderetur ad collum sacculus, miraculo subito sanabantur. Nec hærebat Christianorum paucorum angustiis, illa vis, paribus ethnicos beneficiis peruadebat. Arcis toparcha Elchadonus, in extremis agens omniq; iam sensu defectus sacculi contactu restitutus confanuit: munusculum alterū merito sibi de-

21  
Miracula in  
arce Echandoni  
parrata.